

RECENS HABITAE 93

libus, q̄ manifeste colligitur ex eo, quia in maioribus a Ioue digressionibus nunquam binos Planetas iunctos videre licuit; cum tamen prope Iouem duo, tres, & interdum omnes simul conspici reperti sint. Deprehenditur insuper velocius esse conuersiones Planetarum angustiores circa Iouem circulos describentium; propinquiores enim Ioui Stellę sæpius spectantur orientales, cum pridie ex occasu apparuerint, & e contra at planeta maximum permeans orbem, accurate præadnotatas reuersiones perpendiculari. restitutiones semimenses habere videtur. Eximium præterea præclarumque habemus argumentum pro scrupulo ab illis demendo, qui in Systemate Copernicano conuersionem Planetarum circa Solem æquo animo ferentes, adeo perturbantur ab vniuersa Lunæ circa terram latione, interea dum ambo annum orbem circa Solem absoluunt, vobanc vniuersam constitutionem tanquã impossibilem euertendam esse arbitrentur; nunc enim nedum Planetam vnum circa alium conuertibile habemus, dum ambo magnum circa Solem perlustrant orbem; verum quatuor circa Iouem instar Lunæ circa Tellurem, sensus nobis vagantes offert Stellas, dum omnes simul cum Ioue 12. annorum spacio magnum circa Solem permeant orbem. Prætereundum tandem non est, quã ratione contingat, vt Medicea Sydera dum angustissimas circa Iouem rotationes absoluunt, semetipsis interdum plusquam duplo maiora videantur. Causam in vaporibus terrenis minime querere possumus: apparent enim aucta, seu mi-

D 3